



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Intentio, & divisio operis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

DE PRÆCEPTIS DECALOGI

L I B R I D E C E M.

Intentio, & Divisio Operis.



CEANUM palmo concludere nitor, dum casus ferè omnes ad Decalogum spectantes brevibus Opusculis explicare contendo. Vires assumit timor. Vnde enim in tanta nobilium Scriptorum de eodem argumento obvia multitudine, ac frequentia novi aliquid ad Lectorum animos alliciendos, mihi expiscari concedetur? Nitar tamen, & cense si allequar, lucro apponam; sin minus, excusabit me obedientia R. P. N. Vincentij Carraffa, totius nostræ Societatis moderatoris, qui Opusculum primum meum, de *Expectata Confessione*, evolvere non dedignatus, ad id sibi placuisse mihi indignissimo significavit, ut etiam me ad summam eorum universalem eodem modo ac stylo conscribendam, adhortaretur, hoc est, (ut sunt Superiorum nutus excipiendi) pro suo in me imperio, præciperet. Id autem, quod dirigendum suscipio, quàm sit operosum atque prolixum, (cum S. Aug. lib. 17. de Civit. c. 1. merito loquor) & quàm multis indigeat voluminibus, quis ignorat, qui hoc vel mediocriter cogitat? Proinde (cum eodem ibid. concludo) ita, si potuero, stylo moderabor meo, ut huic operi, nec ea, quæ supersint, dicam, nec ea, quæ satis sint, prætermittam.

Decem ergo libris decem Decalogi præcepta complector. In primo quasi Isagogen instituo pro consequentibus libris, siquidem de quibusdam ago, quæ scitu sunt generatim, atque universè præ-necessaria, antequam ad sequentes tractationes speciatim descendatur: hæc sunt de peccatis, de voluntario, de conscientia. In cæteris verò diffundam de præceptis ipsius Decalogi, ita scilicet ut singuli libri singula præcepta contineant, præter librum decimum, qui duo, hoc est nonum & decimum præceptum complectetur: ubi multa tanquam in proprio loco de internis actibus desiderij simul colligam, quæ Confessariis, imò & poenitentibus fructum parient, si Deo placeat, non contemnendum. *Erudi me Divina Sapientia, & doce me: ads te enim sapere, desipere est.* S. Aug. in *medit.* c. 5.

PRIMA PARS.

L I B E R P R I M U S.

Isagoge, seu de cognatu prænecessariis ante Decalogi tractationem.

CAPUT PRIMUM.

De Peccatis.

§. I. Divisio Peccatorum.

PECCATUM, quod ex S. Aug. lib. 22. contra Faustum, cap. 27. est dictum, factum, concupitum contra legem æternam, atque adeo contra rationem, aliud est Mortale, aliud est veniale: differe-

rant autem hæc in eo, quod veniale leviter adversatur legi æternæ, Mortale graviter: unde fit, ut illud mereatur æternam poenam, hoc est, poenas Inferni; hoc verò poenam temporalem.

2. Ejusmodi autem peccata possunt patrari, per commissionem, ut furando, blasphemando, &c. vel per omissionem, ut non restituendo, non adjuvando extremè indigenti, non audiendo sacrum, &c.

3. Rursus aliud est mortale, vel Veniale ex se, seu ex genere suo, aliud est Mortale, vel Veniale per accidens. Ita Sanchez lib. 1. in decis. 1. num. 3. Meroll. mat. 2. d. 1.

A 64.